

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Georg Wippermann

**ELEGIA || DE RESVRRE=||CTIONE CHRISTI:|| ad || Magnificum et clarißimum  
virum D.|| LVDOLPHVM à DASSEL,|| Consulem Reipublicae || Lunaeburgensis,||  
scripta à || GEORGIO VVIPPERMAN-||no Lunaeburgensi.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1577

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744258821>

Druck    Freier  Zugang







4° 3934  
ELEGIA

# DE RESVRRE- CTIONE CHRISTI:

ad

*Magnificum & clarissimum virum D.  
LVDOLPHVM à DASSEL,  
Consulem Reipublicæ  
Lunæburgensis,  
scripta à*

*GEORGIO VVIPPERMAN-  
no Lunæburgensi.*



*ROSTOCHII*

Stephanus Myliander  
excudebat.

Anno M. D. LXXVII.

F-1002 (4)<sup>24</sup>

AN 1903 1577  
8

EPIGRAMMA  
GEORGII VVIP-  
PERMANNI.

Insignis patriæ pater Ludolphe,  
Musarum decus atque ciuitatis,  
Qui Consul patrio regis fauore  
Ciues imperium tuum ferentes,  
Has nunc ingenij mei capesse  
Quæso primitias. Tuis secundos  
Sic det consilijs Deus benignè  
Successus, Pylios dies tibique  
Divina bonitate largiatur.



1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

1744258821

# ELEGIA.

Vrea purpurei redierunt tem-  
pora veris,  
Atque suum reparat terra re-  
nata decus.  
Gratia prisca reddit mundo, redeuntq; nouatis  
Gramina iam campis, arboribusq; comæ.  
Ipsæ etiam varias iactant ad sydera voces,  
Fronde superq; nouo dulcè queruntur aues.  
Atque ita iucundis concentibus aëra mulcent,  
Læticiae dantes plurima signa nouæ.  
Ergo creaturæ quod ouant ratione carentes,  
Hoc quoque nos lœtos conuenit esse die,  
Et pia victori meditari carmina Christo,  
Quo duce iam redeunt vita salusq; pijs.  
Dicite Io pæan & Io nunc dicite pæan,  
Christus enim victa morte superstes adest.  
Qualiter aurora Sol prælucente resurgit,  
Atque suum toto spargit in orbe iubar:  
Sic Christus tumulo mira virtute resurgens,  
Iusticiæ lumen spargit ubiq; suæ.

A 2

Non

Non Sathanas ip̄sum tenuit, non luridus Orcus,  
Horrendae mortis vis quoque vana fuit.  
Nil lapidis moles, nil custodumq; manipli,  
Conclusum tumulo detinuere virum.  
Cessit vis mortis, Sathanæ victoria cessit,  
Quicquid & armorum regia ditis habet.  
Nec non candardis cessit custodia ferri,  
Obsedit tumulum quæ pie Christe tuum.  
Dicite Io pæan & Io nnnc dicite pæan,  
Christus enim viclor regnat, & astratenet.  
Illud nempe fuit visu admirabile bellum,  
Quo conflixerunt vitaq; morsq; simul.  
Dux obiit vitæ, rediuiuus regnat & idem,  
Contudit & vires mors truculenta tuas.  
Non etenim potuit domini putrefcere sanctius,  
Nec potuit fœdis vermibus esca dari.  
Sed veluti Ionas in piscis ventre marini  
Noctes delituit tres totidemq; dies:  
Sic in visceribus terræ quoque Christus Iesus  
Consilio patris tres fuit usque dies.  
Iamq; resurrexit nobis spolia ampla reportans  
Æternæ vitæ, iustitiæq; nouæ.

Dicite

Dicite lo pæan & Io nunc dicite pæan,  
Victor enim vicla morte superstes adest,  
Sub pedibusq; tenet nubes & sydera Christus,  
Distribuens meritum iam spolia ista sui.  
Nam quia surrexit, nostraq; in carne triumphat,  
Hæredes regni nos facit esse sui.  
Et pedibus nostris deuī clum subiicit Orcum,  
Atque omnem mortis dimouet ipse metum.  
Nos facit insultare Neci, victoq; barathro,  
Nec non hæc ipsis verba superba loqui:  
Quid furis, atq; omnes irarum effundis habenias  
Mors fera, quæ Christi morte subacta iaces?  
Perge modo audacter, vana est sine viribus ira,  
Haud tibi sunt vires, nec tua tela nocent:  
Nunc inferne animo tibi quæ sententia surgit?  
Tune pijs posthac tristia bella paras?  
Frustra acuis vires, & tristia quæq; minaris,  
Pessima nam Christi, fraus tua, fraude perit.  
Per Christum nobis hæc est victoria parta,  
Cumque ipso, victor, qui bene pugnat, erit.  
Dicite lo pæan & Io nunc dicite pæan,  
Cum Christo redeunt iam bona cuncta pijs.

A 3

Nam

Nam quia surrexit cœli super ardua vectus  
Sydera, & ad dextram confidet usq; Patris.  
Conciliat nobis Patrem sua vulnera monstrans,  
Quæ nostri tantum motus amore tulit.  
Tum pater æthereus nostri miseretur, & ultrō  
Nos recipit, cœli participesq; facit.  
Adde quod & blanda natorum voce receptos  
Compellat donis prosequitur q; suis.  
Sic etiam Christus fratrum nos voce salutat,  
Atq; cohæredes gaudet habere suos. Cgnit,  
Iam mea sunt, quæ Christus habet, victoria, re-  
Quod commune bonum fratribus esse solet.  
Si qua pijs igitur ventiunt incommoda, Christus  
Ad latus, à nobis rite vocatus, adest,  
Nec non fraterno mox auxiliatur amore,  
Fidentes cunctis eruit atque malis.  
Dicite Io pæan & Io nunc dicite pæan,  
Christus enim vitæ dux & origo nouæ.  
Hic quia prostrata viator iam morte resurgens  
In patris assueto viuit ouatq; sinu:  
Nostra quoque abstrusis excita cædauera bustis  
Accipient vitium glorificata decus.

Spiri-

Spiritibusq; bonis æterno fœdere iuncta,  
Ante Deum æternæ tempora lucis agent.  
Haud secus ac iterum iam semina sicca virescunt,  
Mortua quæ fuerant atq; sepulta prius.  
Dic mihi quid melius, quid possit dulcius esse,  
Quam nos ante thronum viuere posse Dei?  
Mitigat hoc vitæ ærumnas, & quicq; acerbi est,  
Atq; omnem mortis dimouet usque metum.  
Tanta resurgendo Christus bona contulit orbi,  
Quæ solum vera sunt capienda fide,  
Quæq; recordari solennibus hisce diebus  
Nos & inoblitio pectore ferre decet.  
Ut pia pro meritis referatur gratia Christo,  
Quo duce nos omnes turba redempta sumus.  
Ergo Christe tibi sit bonus, laus, gloria, virtus,  
Qui victo inferno viuis, & astræ tenes,  
Ob scelus humanum quod patri es vicima factus,  
Soluistiq; volens debita lytra tuo.  
Quodq; resurgendo fregisti spicula mortis,  
Dasq; pijs palmæ clara trophyæ tuæ.  
Hæcq; tibi, quæso, placeat deuotio nostra  
Rex pie rex clemens, cui bona cuncta placent.  
Et quia

Et quia cœlorum claro vestitus amicu,  
Ad dextram resides iam patris ipse tui,  
Tu tibi deuotos cunctis arceto periclis,  
Araq; iam seruis esto beata tuis.  
Nam, quia nutantem conuexo pondere mundum  
Aspectat Sathanas, prælia sæua mouet.  
Tu vires inhibe, tu noxia tela furentis  
Frange, aperi, nobis quos struit ipse, dolos.  
Hospitiumq; tuo tūtum concedito verbo,  
Crescat ut auxilio parua sarepta tuo.  
Quique manus præbent verbo verbiq; ministris,  
Fac numerent vitæ sæcula longa suæ.  
Et, cum tempus erit iam terne aduertere proram,  
Et tandem hoc vasto vela referre mari,  
Tu nos in portum cœlestis ducito vitæ,  
Rex pie, qui victor viuis & astra tenes.

F I N I S.







Et quia cœlorum  
Ad dextram  
Tu tibi deuotos cu  
Araq̄ iam se  
Nam, quia mutan  
Aspectat Sa  
Tu vires inhibe, i  
Frange, aperi  
Hospitiumq; tuo  
Crescat ut au  
Quique manus pi  
Fac numerent  
Et, cum tempus e  
Et tandem ho  
Tu nos in portum  
Rex pie, qui

the scale towards do

is amicu,  
patris ipse tui,  
periclis,  
ta tuis.  
pondere mundum  
lia sœua mouet.  
furentis  
struit ipse, dolos.  
dito verbo,  
sarepta tuo.  
verbiq; ministris,  
longa sœue.  
aduertere proram,  
referre mari,  
cito vitæ,  
astra tenes.

S.

938

Scan Reference Chart TE263 Serial No. image Engineering Patch Reference number on UT

